



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. CLIV. Neapolitana hæreditatis. De fideicommisso vel substitutione in casu non implementi vel inobservantiæ, aut contraventionis alicujus præcepti testatoris, an dicatur fideicommissim pœnale, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

nis vel vitæ spiritualis emanasse, sed ex rationabili motivo conservandi bona in agnatione vel sanguine ex deductis supra in Romana fideicommissi de Cuppâ, & in Bononien. discurs. 63. & 64. ac in aliis talis dispositio valeat; Unde cum in præsentî præfarum rationabile motivum conservandi bona in sanguine vel agnatione post dictam ætatem 25. annorum cessaret, quia in cuiuslibet libertate post talem ætatem repositum erat liberè disponendi in quoscumque extraneos, hinc non videbatur aliud subesse motivum, nisi illud avertendi à vita Religiosa, cum nulla suppeteret ratio, cur valens de bonis suis liberè disponere, eaque, dum est in sæculo, cuiuscumque extraneo ac remoto donare, non possit eligendo vitam meliorem in Monasterium seu Religionem ea transferre.

Istud motivum in quadam stricta juris censura fringebat, Verum adhuc non erat aptum Congregationem suadere, ex eo quod huiusmodi irrationabilia odia & motiva in viro probatæ fidei, ac bonitatis præsumi non debeant, sed potius dispositio referenda sit ad idem jam dictum laudabilis desiderii conservacionis bonorum in sanguine; Nil obstante quod in sæculo adesset libertas in quoscumque disponendi, Tum quia hæc prudenter ordinari solet ad majorem bonorum industrem acquisitionem ut supra, Tum etiam quia ex communi experimento non solet ista prudens natio de facili profusiones ac bonorum dissipationes extra sanguinem exercere, ideoque moraliter testator creditur, quod excepto casu professionis in Religione, bona ab infortunatis quibus mercatura subiacet præservata, sanguinem seu agnationem egredi non deberent, atque reflectendo ad veritatem, mihi videbatur quod Congregatio bene motivaret.

Verum his etiam fundamentis circumscriptis, adhuc cum sensu veritatis, dicebam locum esse prædictæ vinculorum solutioni ex eo fundamento, quod substitutio in casu ingressus Religionis non impediret liberam disponendi facultatem post dictæ ætatis decursum competentem, sed intelligenda veniret de bonis, quæ tunc superessent, in quibus tantum sublata quacumque retroractione, urgebat testatoris voluntas, ne ad mortuam manum Religionis transiret ex eisdem rationibus & fundamentis in eadem Congregatione deductis in d. Romana seu Comen. disc. præced. ac etiam in Parmen. & in Romana hered. de Musis disc. proximè præcedentibus, quod scilicet in his substitutionibus non spectatur ipsum factum, sed effectus exinde resultans, ad quem solum ac principaliter testator respexit.

Et licet occasione istius disputationis per aliquos motivaretur de auctoritate Cyriaci contrav. 346. illi tamen dabam easdem responiones in dicta alia causa datas, Et ex hoc ultimo fundamento Congregatio petitis inclinavit, ad omnem tamen exuberantem cautelam exigere voluit à dictis heredibus cautionem idonei Mercatoris in Urbe super indemnitate substitutorum, quatenus de jure casus fieret, atque aliquod jus eis competeret in locis medio tempore distractis, quod libenter adimplendum consului, quoniam idem est ac nihil, multoties enim iudices difficultates promouentes, quamvis se victos agnoscant, solent quadam medias vias eligere, ne turpiter videantur per eandem regredi viam.

NEAPOLITANA HÆREDITATIS

P R O

PP. CONGREGATIONIS LUCENSIS

C V M

PP. MINISTRANTIBUS INFIRMIS.

Casus variè decus per Rotam, & pendet.

De fideicommissio vel substitutione in casu non implementi vel inobservantia, aut contraventionis, alicujus præcepti testatoris, an dicatur fideicommissum pœnale, vel conditionale; Et de differentia, ubi præceptum vel adimplementum adjectum est per viam conditionis, vel per viam modi, & de effectibus exinde resultantibus; Et quæ sint præcepta non obligatoria; Et in specie de illo, de non transigendo.

SUMMARIUM

- 1 **F**acti series.
- 2 **R**esolutiones cause.
- 3 **A**d incurrendam pœnam caducitatis ex causa alienationis vel alterius contraventionis requiritur dolus ex malitia.
- 4 **E**t ideo qualibet causa excusat.
- 5 **D**e contraria resolutione præcedentibus.
- 6 **Q**uod probabiliores essent prima resolutiones.
- 7 **D**e distinctione an implementum à testatore demandatum sit per viam modi, vel per viam conditionis & de effectibus.
- 8 **V**bi est per viam conditionis attenditur nudum factum & non curatur an sit culposum.
- 9 **D**e ratione differentia inter modum & conditionem.
- 10 **D**e eadem distinctione de qua rum. 7. an dispositio sit conditionalis, vel modalis.
- 11 **E**x quibus verbis deducatur processum esse per viam conditionis.
- 12 **Q**uomodo verè distingui debeat modus à conditione, & quando operentur verba.
- 13 **Q**uando dicatur per viam modi.
- 14 **E**xpenduntur doctrina & decisiones quæ adducuntur ad probandam, quod dispositio esset conditionalis.
- 15 **O**nus assumendi cognomen & insignia testatoris non est adimplendum nisi post obtentam hereditatem.
- 16 **D**e contributo inter legata, si hereditas non sit idonea.
- 17 **A**dimplementum faciendum in tempore etiam extra tempus attenditur & sufficit.
- 18 **D**e materia, an & quando transactio cadat sub prohibitione alienationis, & ad quos effectus.
- 19 **D**e differentia inter nullitatem actus & incursum pœnarum.
- 20 **A**n transactio efficiat successorem venientem jure suo independentem.

21. *Præceptum de non transigendo non obligat, ac sperni potest.*
 22. *De Consuet. Neap. an procedat ubi disponitur cum Ecclesia vel cum pia causa, Et an ubi agitur de questione successionis, ille forus laicalis sit declinabilis, remissive.*

DISC. CLIV.

1 **F**elix Ursina Ducissa Gravina primam donationem fecit Congregationi clericorum Regularium Matris Dei, alias S. Mariæ in Porticu seu Lucensis (de cujus erectione habetur actum sub tit. de præminentis disc. finali) de aliquibus bonis, ad effectum erigendi domum & Ecclesiam in suburbis seu burgo Neapolitanæ Civitatis nuncupato *Flagia*, deindeque tractu temporis aliam longepinguorem donationem eidem Domui seu Congregationi fecit scutorum circiter 100. m. cum diversis oneribus, ac demum dictam Domum ejusque Patres in testamento hæredes instituit, sub onere diligenter exigendi nomina debitorum, aliaque jura hæreditaria, atque eis erigendi in eadem Domo novitiatum pro viginti novitiis, cum pluribus legibus ad rem non facientibus, prohibendo strictè quæmquam alienationem, adjecta in casu contraventionis vel inobservantiæ pœna caducitatis, cù substitutione ad favorem PP. ministrantium infirmis quibus prætentibus dictæ substitutioni locum factum esse ex utroque capite negativæ ac affirmativæ contraventionis, negativæ scilicet ob non factam in tempore ac modo præscriptis erectionem dicti novitiatum. Et affirmativæ seu positivæ, ob transactiones initas cum Duce Gravina, aliisque attinentibus, qui prætendebant necessariam successionem in bonis antiquis in vim consuetudinum illius Civitatis, & cum quodam Octavio Blanco.

Hinc proinde moto desuper judicio coram A. C. atque supervento Pontificio rescripto, ut hic procedere deberet de voto Rotæ, assumpta disputatione in hoc Tribunali coram Cerro super dubio, *An esset factus dicti fideicommissi vel substitutionis casus*, sub die 30. Januarii 1660. negativa prodidit resolutio confirmata sub die Junii 25. sequentis, ex fundamento non probatæ contraventionis culpôsæ ob plures justas causas excusantes dolum vel malitiam, sine quibus hujusmodi privationis vel caducitatis pœna non incurritur, neque hujusmodi fideicommissis pœnalis sit locus, ex iis quæ cæteris relatis habentur apud Merlin. dec. 491. num. 1. apud Ottob. dec. 110. num. 13. cum aliis in prima decisione, quæ habetur impressa post collationes Bondeni decis. 70. ubi etiam pluribus relatis firmatur conclusio, quod quælibet causa etiam injusta, quoties non est affectata, ita ut dolum ac malitiam redoleat, ab hujusmodi caducitatis incursum excusat, ac habetur pluries proximè infra, præsertim in Bonon. bonorum de Fontana discurs. 157. ac in aliis subsequentiibus in proposito fideicommissi pœnalis ex capite alienationis; Datoque ad normam decisionum voto, juxta quod prodidit sententia absolutoria A. C. post plurium annorum decursum, præfati substituti actores appellationis causam alias commissam in eadem Rotæ coram Celfo, reassumpserunt coram Carpinea subrogato, cumque ex hac parte objiceretur, de re judicata ob appellacionis desertionem, Hinc proinde dato consueto dubio, *An constaret de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum*, sub die 27. Januarii 1668,

negativè in prima parte ex aliquibus causis dolum nem excusantibus, affirmativè autem in secunda capite injustitiæ ad favorem substitutorum prodidit resolutio, adversus quam concessa nova audientia in hoc statu ex hac parte Congregationis coram aliis doctis defensoribus adjuncto, in congressibus pro directione causæ habita, quam etiam in unica disputatione adversus ultimam decisionem habitam sine resolutione, attendendo etiam ad solam veritatem, omnino justè neque fundatè videbantur primæ resolutionis coram Cerro, & consequenter improbitatis parumque fundata ultima resolutio coram Carpinea.

Nulla siquidem inter dictas decisiones differentia vertitur circa theoricas seu conclusiones juris in abstracto super vera & recepta distinctione latè in hac secunda decisione deducta, quod implementum seu aliud præceptum positivum negativum per testatorem injunctum est hæreticæ viam modi, & à parte postea, & tunc eorum pœnam formalem, qualis semper inesse debet quoties resultat amissio seu privato juri quædam & tunc rectè præcedat dicta conclusio, quæ prima decisione, ut requiratur dolum & malitiam quibus quælibet causa, etiam ut nollet dicere, & bestialis excusat, quoniam cum agatur de peccata ista exigat delictum positivum, sine quo non tenet. Et consequenter, cum raro vel unquam dolum malitia convinci possint, hinc receptum ultimasariam esse monitionem, ob quam ille qui adire tenetur, in mora & culpa positiva constituitur ut in eadem decisione admittitur.

Aut verò præceptum seu adimplementum conditionis est per viam conditionis, & tunc aliter requiritur, quoniam in conditionalibus fideicommissionis verificatio de facto quomodoque illa sequatur, sive accedat culpa positivæ, sive ad text. in auth. hoc amplius C. de filiis. Item in lib. 149 n. 1. & sequen. Paris. cons. 19. nu. 197. & sequen. lib. 2. Molina de primogen. lib. 2. cap. 14. cum sequen. cum aliis in dicta ultima decisione coram Carpinea & habetur etiam in decisione prodidit in Romana hereditatis de Rubis, de qua infra prox. sequen. infra allegandis ac apud Donsen. de 882 & in aliis pluries.

Dives si autem erat in applicatione, quoniam in primis decisionibus proceditur cum præsupposito, quod versaremur in dispositione modali, & consequenter in substitutione pœnali, in ultimam rō proceditur cum præsupposito, quod veritas in conditionali, in cujus casu Ego & cæteri pro parte scribentes admittēbamur regulis & conditiones in ultima decisione deductas tanquam necessaria non esset monitio cum mora seu culpa positivæ, sed sufficiat ipsum factum contraventionis seu non implementi quomodoque contingatur; Ex ea differentie ratione, quod in conditionalibus non tollitur jus quæsitum, sed nonolum impeditur jus quærendum, quod proximè dicitur inferre pœnam, sed solum impedire lucrum quod ad illud invitatus sub certa qualitate seu conditione obtinere non potest, nisi illam partem par e sua adimpleat, atque non adimplendo, ab eo lucro arceatur, nulla sibi fit injuria, neque negatur pœna, dum nihil amittit de suo, magis aliquo jure jam quæsito privatur, quod magis committitur receptum ac magistrale est.

Oldradi receptum etiam in materia matrimoniali, in qua magis rigorose proceditur circa matrimonii libertatem, ut advertitur supra in Bonon fideic. de Guidanis disc. 44. & habetur in sua materia sub. tit. de matrimonio, ac alibi, quoniam est distinctio magis communiter recepta & vera.

Restringebatur igitur questio ad applicationem, an scilicet in una, vel altera præfata distinctionis parte potius versaremur, admissio ex abundantanti præsupposito, quod de inobservantia seu contraventione per actores præfata constaret (quod tamen ex hac parte constanter negabatur); Ideoque promethodica disputatione duæ continebantur inspectiones, Una super præfata contraventione resultante ab actibus negativis, non fundando scilicet in tempore ac modo præscriptis domum novitarius, alia que faciendi per testatricem ordinata; Et altera circa contraventionem consistentem in actibus positivis concordiarum initarum cum dicto Duce Gravina, aliisque conjunctis, & cum Octavio Blanco.

Percutiebant autem hæc omnia solum hereditatem ac dispositionem testamentariam, quæ tunc verò donationis, præsertim secundam pinguiorem, ac bona in eis contenta; Quamvis etiam ultima decisio coram Carpinea promissæ agat, tam de secunda donatione quam de testamento, atque dictæ donationis plerasque partes ac verba ponderet ad effectum inducendi, quod præcepta inuncta essent magis per viam conditionis, quam per viam modi attamen istud fuit æquivocon partis, rectè agnatum in dicta subsequta disputatione, dum donatio dictam pœnam seu substitutionem non continet eo modo, quo testamentum, ad quod proinde, solumque hereditatem disputatione restricta fuit.

Quatenus igitur pertinet ad dictam primam inspectionem, super præfata contraventione seu non implemento consistente in actibus negativis, non erectionis scilicet novitatus cum similibus, illa duas habebat partes, Unam facti, an scilicet dicta contraventio adesset, quod ex hac parte constanter negabatur; Alteram verò juris, quatenus illa de facto adesset, an scilicet intrarent excusationes ex justis impedimentis resultantes; Quoad ea verò que facti sunt juxta Curiz stylum, nullæ erant partes Advocati, sed omnes causas Patroni, qui bene ostendebat talem defectum non adesse, idque satis vehementer adminiculum seu momentum recipiebat à sententia absolutoria lata per Tribunal Fabricæ Neapolis præfata exacta rationum redditione.

Quoverò ad punctum juris, præsupposita veritate dictæ theoreticæ seu distinctionis, ille restringebatur ad dispositionis qualitatem seu naturam, & an esset modalis vel conditionalis, ut supra; Ad hoc autem dignoscendum traditur dicta communiter recepta distinctio, quod, Aut adimplementum adijcitur à parte antea, & priusquam ille, cui inunctum est obtinere possit hereditatem, seu aliud emolumentum, cujus acquisitionis principio conditio adhuc non impleta tanquam suspensiva se opponat, ipsamque acquisitionem impediatur, & tunc dicatur conditionalis; Aut adijcitur à parte postea, & quando præsupponitur jam questum emolumentum, & tunc dicitur modalis, ac per viam conditionis resolutivæ causantis amissionem juris questi ac possessi juxta magistralem distinctionem Baldi in l. cum eorum C. de sententia & interlocutione omnium Iudicum, & Barr. in l. quibus d. sermilis num. 5. & 6. ff. de condit. & demonstr. & se-

quantur ceteri, de quibus Galvan. conf. 13. num. 13. Altograd. conf. 84. num. 6. lib. 1. Rovit. pragm. 1. de Guidaticis num. 11 Gratian. discept. 136. per totum, Rota dec. 59. par. 1. divers. Coccin. decis. 272. in Ferrarien. fideicom. prima Martii 1663. coram Vicecomite edita in causa de qua supra disc. 9. in qua pariter de eadem distinctioe.

Scribentes ex adverso admittebant distinctionem, ideoque nulla circa ejus veritatem in puncto juris aderat questio, quæ pariter tota erat facti & applicationis, an scilicet hæc testamentaria dispositio, uno, vel altero modo concepta esset, Arque in hoc, tam dicta ultima decisio, quam scribentes pro ea sustinenda, totam viam constituiebant in formalitate verborum, seu dictionum & clausularum, quæ conditionem potius quam modum redolerent, ponderando præsertim pleraque verba, vel dictiones & clausulas, de quibus ad effectum firmam dispositionem conditionalem habetur apud Dumozert. d. dec. 882. cum qua præsertim in dicta ultima resolutione processum fuit.

In hoc autem Ego & ceteri pro hac parte scribentes advertebamus consistere æquivocon, quoniam formula seu contextus verborum spectari quidem debet, quando factum sive subjecta materia non repugnat, secus autem tali repugnantia accedente, tunc enim non attenduntur verba, sed attenditur ipsa rei substantia seu veritas, ac propterea, ubi adimplementum perneceffe faciendum est à parte postea, etiam si expresse adhibeatur verbum conditio, illud resolvitur in modum; Et econtra, si de natura actus vel de voluntate testatoris, adimplementum debet præcedere tanquam necessaria qualitas ad emolumentum assequutionem, tunc etiam si verba in sui naturali seu grammaticali significatione importarent modum, adhuc importare dicuntur conditionem, ut bene probat text. in l. Memoria ff. de manumiss. testam. & ceteris relictis habetur apud Rovit. d. pragm. 1. de guidaticis num. 49 Gratian. discept. 136. per totum. Rota apud eundem num. 57. quæ est eadem apud Coccin. decis. 272. num. 2. Gregor. dec. 117. num. 5. satis bene Rot. d. dec. 39 num. 2. par. 1. divers. & in eadem dec. 882. Dumozert. num. 9. atque admittitur in hujus causæ ultima decisione coram Carpinea; In idem suffragante toties insinuatoprius, ut in quibuscumque humanis actibus, tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem, non cortex & figura verborum, sed substantia veritatis attendenda sit.

Applicando igitur ad rem, cum istud implementum erectionis novitatus, aliorumque onerum sequi deberet cum bonis ac redditibus hereditariis, quæ nec exigi nec obtineri poterant, nisi prius præcederet aditio hereditaris, atque obtineretur immissio ad possessionem bonorum & jurium hereditatorum, quod ibi vocant, præambulum, de quo, ad effectum competentis fori, particulariter ac distinctè actum habetur in altera Neapolitana subtit. de jurisdictione disc. 94. Arque postquam hic actus sequutus est, neque sufficit, nisi removeantur molestiæ pretenduntium habere jus in hereditate, stante potissimum quod ibi nimium prompta & frequens est praxis apponendi sequentium, quod post jam obtentum titulum hereditarium remove oportet, eoque remoto exigere & cumulare effectus hereditarios pro hujusmodi gravi onere adimplendo, quod perneceffe notabile successivum tempus exigit, hinc proinde, dicebatur quod rã legaliter, quam naturaliter est impossibile, ut hoc adimplementum dici valeat adjectum per viam conditionis.

ditionis à parte adjectum priusquam hæreditas obtineatur.

Neque in dicta contraria decisione, vel per scribentes pro ea sublinenda deducebantur auctoritates, quæ istud verè impossibile assumptum firment; Resecatis etenim doctrinis generalibus, quæ ad ornatum sive super regulis incidentibus deduci solent, & quas esse paleam, mea est dicendi consuetudo; Totum fundamentum constituebatur in deductis per Paris dicto cons. 19. lib. 2. in dicta decis. 882. *Dunozetti*, & in decisionibus editis in Romana hereditatis 10. Decembris 1655. *Albergato*, & 29. Aprilis 1659. *Meltio*, quarum secunda est impressa post consultationes *Bondeni* decis. 62. quas singulas examinandas; Paris dicto cons. 19. agit de adimplemento consistente in assumptione cognominis & insignium testatoris, quod utpotè pendens à solo animo ac facto ejus, qui vult assequi hæreditatem. vel aliud emolumentum, adimpleri potest in instanti, & antea obstantem hæreditatem, ut ita obtineatur qualitas, quæ ad eam assequendam necessaria sit; Et nihilominus nisi testatoris voluntas urgeat, ut talis qualitas præcedere debeat, dictum consilium 19. Parisi est communiter reprobatum, quoniam verius est istud implementum faciendum non esse, nisi post acquisitam hæreditatem, seu aliud emolumentum, ut de magis communi & vera, cæteris relatis *Molina de primogen. lib. 2. cap. 12. num. 11. & cap. 14. numer. 12. Rot. dicta decis. 39 par. 1. divers. & decis. 310. num. 5. cum sequen. par. 7. rec. & alias pluries.*

Talis etiam est causa dicta decisionis *Dunozetti*, in quo testator, ad tollendas inter atinentes quos relinquebat hæredes, lites & controversias jam motas vel imminentes, injunxit uni ex legitimis onus per viam conditionis suspensiva, quod quietantiam facere deberet cohæredibus de aliquibus prætensionibus quas ex persona propria habebat, & quæ quietantia erat actus instantaneus, rectè explicabilis ante aditionem hæreditatis, atque dici poterat qualitas necessaria ad hæreditatem obrinendam.

Decisiones verò in Romana hereditatis coram *Albergato* & *Meltio* prodierunt in casu, de quo *discur. proximè sequenti*, ex quo patet implementum à testatore demandatum perneceesse debere præcedere, tanquam conditionem seu qualitatè necessariam, & sine qua sequi non poterat illud opus, pro quo & non aliàs hæreditas scripto hæredi relinquebatur, ideoque istæ auctoritates omninò extraneæ videbantur à casu.

Et quævis in ultima contraria decisione ponderentur verba denotantia satis tenixà testatrix voluntatè, ut istud implementum ante omnia sequi deberet, quodque Congregatio, seu ejus PP. scripti hæredes nullum emolumentum ex hæreditate reportare possent, nisi hoc implemento sequuto; Attamen clarum videbatur partis æquivocum exinde inferendi, quod tale implementum staret à parte antea tanquam conditio suspensiva, seu impeditiva acquisitionis emolumenti, quoniam id verè aliud non importat, nisi vel hujus operis privilegium, per quod hæreditate non existente idonea ad omnia onera, illud exemptum esset à contributo aliàs de jure intrante ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud *Rovis. decis. 87. & Rub. de testam. cap. 66. num. 141. & sequen. ac in tua materia sub. de legatis*; Vel quod hæres prohiberetur redditus, ac effectus hæreditarios in alios sibi placitos usus erogare, cum hanc licentiam testatrix tribuere noluerit, nisi in eo quod adimpletis oneribus superesset, quod etiam de

jure subintelligitur, undè fuit expressè etiam de jure inerat.

His ita constitutis, nimis plana remanebat excusatio à dolo & malitia, seu culpa potius quæ requiruntur ad hujusmodi conditionales hæres commissum inducendum; Tum ob impedimentum sequestri illicè mortua testatrice, ac fortè etiam hùc vivente illata per Duceum *Gravine* & alios in vim consuetudinum illius Civitatis se præsumebant necessarios successores saltem in parte in antiquis; Tum etiam ob notorias illius Regni vicissitudines utriusque belli, prius humani intractatæ revolutiones populares, postmodum autem de ob pestis magnum excidium, Ac etiam ob alia impedimentum de tempore obtentæ hæres proximo causatum ex Constitutione *Invenit* *em* edita de anno 1659. quæ stricte omnibus legationibus prohibet Novitios recipere, quæ aliquas ad habitum vel possessionem admittit.

Observabam præterea in hac facti specie, neminem penitus dubitandi occasionem cellens, neminem præmissa omnia, quæ circa personale relationale fideicommissum ex capite non impleto habentur, percutiunt casum, in quo illud caducum sequutum sit, atque reintegræ substitutionis caducitatem declaraverit ac agnoverit, nisi præterea gravato præclusus remaneat adimplendum adimplendi; Et nihilominus etiam illud caducum quamvis adimplementum adjectum esset à parte antea, per viam conditionis intra certum partium tempus purificandæ, adhuc si deinde impleri potest, ex quadam non scripta æquitate quitativo arbitrio id admittendum venit, ac voluit praxis casus, de quo *discur. proximè sequenti* ibi deductis.

Ubi verò implementum jam sequutum, aut præsentis, solaque contraventio consistit, non potest, quia nempe illud sequutum non est, quod testator præsinivit, tunc quoties substitutio re integra, & antequam substitutus, vel alius esset, caducitatis incursum declaraverit, nisi sibi delatam agnoverit, etiam adimplementum tempus attenditur, potissimè verò ac extra deum ubi vis non est in tempore præciso, ad quodlibet sit disponens voluntas, quæ aliàs extra tempus non impleatur ad *text. in l. si ita quis ff. de verb. oblig. & est communis traditio Bart. de legi, lafonis & aliorum in l. Insulam ff. eodem tit. de legibus & aliis bene apud *Rovis. decis. 53. num. 10. & tit. decis. 270. per totum Buratt. dec. 169. num. 4. & den. ad eum decis. 571. nu. 5. & 6.* atque pro alio habitu fuit in dicto fortiori casu, de quo *discur. proximè sequen.* Ideoque ex pluribus clarè manebat, dictam ultimam resolutionem ex parte non implementi negativi, nullo pacto sustinere posse, ac propterea merito in repropositione causæ ut supra, super ejus revisione, reposita difficultas ad præsentem contraventionem partem faciendi dictas transactiones sub prætextu inhibitione alienationis.*

Super hos autem eadem decisio procedit cum generalitate quam habemus in terminis *ambrosiose de reb. Eccles. non alienan.* ut sub actibus prohibita alienationis veniat etiam transactiones, cum sententia prædicta in sua veritate dicebam, ista conclusio in suo alio juxta opiuiorem, quam sequitur *Rota & Curia* penitus extranea est à casu controversiæ, quæ neminem aliud est agere de validitate actus, aliud rem

an ille dici possit adeo temerarius, ac malè gestus, quod redoleret positivam culpam, ac malitiosam, & dolosam contraventionem voluntatis testatoris, unde resularet delictum; ex quo sequeretur pœna; Siquidem in ipsismet rigorosis terminis *extravag. Ambitiosa de rebus Eccles. non alienan.* Aliud est quod actus inicus à Prælato sine beneplacito Apollolico, ac forma ibi præscripta sit invalidus, Aliud verò, ut incurrantur censuræ aliæque pœnæ per eadem *extravag. statuta.* Ad primum enim effectum etiam actus sincerè & bona fide seu ex probabili errore inicus est nullus, non inde tamen inferitur ad secundum effectum pœnarum, pro quo verificari debet culposa temeritas in eadem *extravaganti* præsupposita, juxta receptam distinctionem, de qua in sua materia *sub. tit. de alienationibus.*

Atque magis proximè, quotidianas habemus quaestiones in materia transactionis inita per hæredem gravatum, an afficiat substitutum ex persona propria independentem venientem, ut pluries *infra disc. 172. & sequen.* super hoc articulo, de quo etiam *sub. tit. de senis discursu 49. & alibi frequenter*, distinguendo, an bona vel mala fide actus inicus esset, ad effectum scilicet obligandi necnè successorem independentem venientem jure proprio, nunquam verò, ut actus dici valeat adeò infectus, ac prohibitus, quod pœnam caducitatis propter prohibitam alienationem causare valeat, cum id nullum penitus juris fundamentum habeat.

Si enim in hac materia transactionis habemus, quod etiam si testator illam expressè ac nominatim prohibuerit, adhuc tale præceptum utpotè contra bonos mores ac licitum nutritivum non remanet obligatorium, liciteque sperni potest, *Cacciaup de transact. quest. 22. Socin jun. conf. 32. num. 13 lib. 3. Rot. decis. 104. num. 18. decis. 190 num. 27. & decis. 231. num. fin. par. 7. rec. & in aliis*, multò igitur magis, ubi nulla adest expressa, & particularis prohibitio, sed prætenditur actum venire sub prohibitione alienationis in genere.

Nedum autem hujusmodi transactiones, illa præsertim inita cum Duce Gravinæ, aliisque conjunctis, quibus aliqua bona per testatricem possessa dimissa fuerunt, dici poterat collusiva, & mala fide inita ad actum criminiosum, ac pœnalem effectum, sed rectè ac tutè dicenda veniebat inita prudenter, ac optima fide, adeò apta esset obligare etiam successores, qui jure fideicommissi restitutorii vocati essent, dum stante clara dispositione consuetudinum Civitatis Neapolis præfatus Dux, alique conjuncti prætereundere poterant necessariam successorem in notabili parte bonorum hæreditariorum, quorum valore attento, satis modicum datum vel dimissum fuit quod ex facti circumstantiis, & personarum qualitate, ac more regionis prudens consilium fuisset dimittere etiam pro evitanda lite, ejusque gravibus expensis & molestiis, ac pro removendis sequestris, unde revera ex facti qualitate bona fides erat indubitata; Potissimè quia collusio, vel simulatio præsumenda non est juxta satis vulgare, ac receptum principium, ubi deficit causa simulandi vel colludendi, quæ nulla penitus exco-gitari poterat, dum inter istos PP. ac eos, cum quibus transactionem est, nulla concurrebat conjunctio sanguinis, vel alia ratio effectiois, seu proprii interese. ob quam resularet probabilis suspicio, quod isti PP. seipsos suamque Congregationem bonis dimissis, vel datis private voluerint, ut extraneis ignotis datent.

Dicebant scribentes in contrarium, ac in parte in-
nuit ultima decisio, quod culposè PP. se gessissent
transigendo super lite mota coràm giudice laico
eorum incompetenti, quodque Neapolitana con-
suetudo non procederet in dispositionibus fa-
ctis ad pias causas, vel cum personis Eccle-
siasticis, atque in hoc nimum insistebant, quod sci-
licet isti PP. tanquam Ecclesiastici debuissent de-
clinare forum laicale illius Sacri Consilii; Verùm
in hoc dictos scribentes excusabiles esse dicebam
utpotè non versatos in loco, illaque praxi, circa
quam deducebam eadem, quæ habentur deducta
circa fori competentiam in dicta Neapolitana sub. tit.
de Jurisdictione disc. 94. Et circa cessationem consue-
tudinum quando disponatur cum Ecclesiasticis, vel
cum causa pia, deducebam ea quæ circa hanc ma-
teriam habentur deducta in altera Neapolitana sub
tit. de dote disc. 103. Ideoque reflectendo ad solam
veritatem, nimis clara videbatur hujus partis justi-
tia, quodque dicta ultima resolutio nullo pacto ef-
set sustentabilis, probabiliore autem essent pri-
mæ, & consequenter quod sperari omninò debeat
recessus.

ROMANA HÆREDITATIS DE RVBEIS

PRO

PRESBYTERIS CONGREGATIONIS
S. PANTHALEONIS
AD MONTES

CVM

CONGREGATIONE B. PETRI
DE PISIS.

*Casus variè decisus per Rotam,
postea concordatus.*

De eadem materia fideicommissi or-
dinati in casu non implementi vel
contraventionis, An dicatur pœ-
nale vel conditionale; Et an ad-
versus adimplementum in tempore
competat necnè restitutio in inte-
gium.

SUMMARIUM.

- 1 **F**Acti series.
- 2 **R**esolutiones cause.
- 3 **Q**uod ad effectum incurrendi caducitatem, & pro fi-
deicommissio pœnali requiratur dolus & mali-
tia.
- 4 **D**e Constitutionibus Apostolicis super erectione novo-
rum Conventuum, remissivè.
- 5 **D**e duplicitate persona in Papa uti Papa, & Episcopo
Vrbis.
- 6 **D**eclaratur conclusio, de qua num. 3. ubi per viam pœnæ,
secus